



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

XXVIII. Hadebaldvs. VII. Arch.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

fat longo tempore Hadriano I. & D. Leoni III. Pontificibus Maximis, nec non Carolo M. meritis suis singularibus sese reddidit pretiosum; unde à Carolo consiliis crebro est adhibitus Regiis, & demum etiam Imperatoriis; à Pontificibus verò Sedis Apostolicæ Apocrisarius est constitutus, ac temporum successu in Divorum Album relatus. Merita hujus Archipræsulis hac synopsi complectuntur Colonienses:

Hilboldus Magno Carolo gratissimus hospes,  
Virtutum titulis magnus & ipse fuit.

## SECVLUM IX.

### XXVIII. HADEBALDVS. VII. ARCH.

**P**Ræclarum sibi nomen comparavit Hadebaldus gemino in Concilio, altero Aquisgrani, altero Moguntia habitato, in quibus Danorum aliorumque Septentrioni propinquorum populorum conversio promota est plurimum; quem in finem Hadebaldus D. Ansgario de necessariis providit & navim instruxit. Annis 28. Sedit an. 846. mortuus, post cujus fata ob Normannorum in Germaniam & Franciam irruptiones, atque etiam ob hæredum Carolo Magno succedentium pugnas & lites per annos 5. Sedes Coloniae sacra relicta est vidua.

### XXIX. GVNTHARIVS. VIII. ARCH.

**G**untharii per annos 12. Coloniae Archipræsulis soror fuit Waldrada, quam, repudiata Theuthberga conjugè legitima, cum in thalamo sibi jungeret Lotharius junior Rex Austrasiæ, & factum suo etiam calculo firmaret Guntharius, eam ob rem authore D. Nicolao Pontifice Metis celebrata Synodus Guntharium, & mox etiam Theidgandum Trevirorum Antistitem cum aëclis anathemate confixit. Inter bruta fulmina nume-